

06

A

970

1628

Curfus Philosophici

DISPUTATIO I.

De

PHILOSOPHIA

IN GENERE

PROPOSITA,

In Alma VVittebergenſi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

Respondente

JOHANNNE VVIZELIO PFER-
tingslobio--Thur.


Ad diem 29. Novembris.



VVITEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.





VIRIS

Reverendis, Excellentissimis & Doctissimis

Dn. JOHANNI VV E B E R O
S. S. Theol. Doctori, & Concionatori
in aula Illustris & Generosi Comitis à
Eichen dignissimo.

Dn. M. CHRISTOPHORO
MENGVINO Ecclesiæ Ordruviensis
Pastori ac Superintendenti vigilan-
tissimo.

*Dominis suis Patronis, Mecœnatibus, & Promo-
toribus sincero affectu colendis, primam hanc
Cursus Philosophici disputationem*



Dicat & consecrat

Iohannes VVizelius R.

06 A 970

Cursus Philosophici

DISPUTATIO I.

DE PHILOSOPHIA

IN GENERE.

Præloquium.



Vod felix faustumq; sit, & divinâ propter Christum, unigenum Dei Filium à Patre per Spiritum sanctum aspirante gratiâ, benè feliciterq;, & ad multorum emolumentum cedat, Philosophicarum rerum inquisitionem denuò instituimus, eaq; quæ hæcenus fusiore amplioreq; explicatione, partim ab alijs, partim à nobismetipsis tradita sunt, strictioribus, brevioribusq; comprehensa thesibus, proponemus, certò fore persuasi, ut hac via ac ratione colloquia nostra de omnibus universæ Philosophiæ capitibus in posterum in Sacrosanctæ Trinitatis nomine habenda, firmissima fundamenta universæ veritatis aperiant, scrutentur, & cōtra Phantasticarum Sophisticarumve opinionum machinas muniant, atq; defendant.

THESIS I.

Vt autem ab ovo, quod ajunt, rem ordiamur, Philosophiæ nomē ex natura ingenioq; rei significatæ simplex esse poterat; sed modestia Pythagoræ compositū fecit: Quippe qui illam

A 2

potius

potius Φιλίαν ἢ ὄρεξιν τῆς σοφίας, quàm σοφίαν sive sapien-
tiam denominare voluit.

II. Modestiam hanc & alij postea sunt secuti, imò & latini,
qui philosophiam studium sapientiæ interpretati sunt: Ita
Cicero l. Tusc. Quæst: *Omniū, inquit, quæ ad rectam vivendi viam
pertinet ratio disciplinaq̄, studio sapientiæ, quæ philosophia dicitur con-
tinet.*

III. Definimus eam habitum sapientiæ & prudentiæ con-
stantem.

IIII. Habitus præsupponit cognitionem.

V. At cognitio & scientia pro subjectis debent dividi:
Unde tot erunt cognitionum sive scientiarum genera, quot
sunt entium.

VI. Ergo quia non-Ens sub intellectum non cadit di-
cimus, non-Entis nullam esse scientiam, nullam cognitio-
nem.

VII. Atqui verò Entium gradus plures sunt. *Aliud enim
Rationis Ens est, aliud Reale.*

VIII. Entia Rationis dicimus ea, quæ animus noster
fingit ac format, ad conceptus reales rectè dirigendos.

IX. Entia realia finimus ea, quæ extra animi nostri con-
ceptum sunt, nobis etiam nihil cogitantibus, ut homo, leo, la-
pis, arbor & similia extra mentem existentia.

X. Horum ὄντων conceptus dicuntur *intentiones primæ*: vo-
cabula verò conceptus hosce significantia vocantur *voces
primæ intentionis sive notionis.*

XI. Entia rationis Realibus sunt posteriora, utq̄; ipsa
τεχνικά sunt, ita quoque per vocabula τεχνικά exprimuntur,
ut sunt *Genus, Species, Subjectum, prædicatum, Syllogismus, Figura, Sche-
ma, Metonymia: Nomen, Verbum, Participium, Casus, Numerus, & sex-
centa alia.*

XII. Conceptus horum (extra quos etiam nihil sunt,
quippe meri conceptus) dicuntur *Notiones Secundæ*, verba
conceptus istos exprimentia sunt *voces secundæ intentionis si-
ve notionis.*

XIII. Ut

XIII. Utrita primæ & secundæ notiones differant: quod prima notio sit de Ente reali proximè: Secunda verò notio sit de Ente rationis, sive ipsum Ens rationis.

XIV. Et quia diximus, Entia rationis formari ab intellectu nostro, ut conceptus reales dirigat; colligitur, quod secundæ notiones semper sint primarum organa.

XV. Unde intelligitur porro, omnes istas disciplinas, quæ occupatæ sunt circa Ens reale, esse primarias & reales; quæ verò versantur circa Ens rationis, esse secundarias & duntaxat instrumentarias.

XVI. Sed omnes disciplinæ liberales ad Philosophiam respectum habent, & suo modo ad eam pertinent. Quare voce *Philosophiæ* paulò latius acceptâ, dividere eam possumus in *Instrumentariam & Realem sive principalem*.

XVII. *Instrumentaria* est, quæ tradit habitus instrumentarios ad disciplinas sive scientias reales dirigendas, constituendas, propagandas & communicandas.

XVIII. Ex fine in disputatione hac expresso sumitur habituum horum Instrumentariorum divisio. Vel enim illum habent totalem, ut *Logica*: quippe quæ ad scientiarum realium directionem constitutionemq; simul & ad earundem propagationem & communicationem inventa est; vel illum tantum habent partialem ut *Rhetorica & Grammatica*: quippe quæ tantum ad habituum realium propagationem & communicationem faciunt, non ita ad directionem & constitutionem.

XIX. *Philosophia Realis & principalis* circa Ens, uti constat, reale est: Quod vel *Necessarium* vel *Contingens*.

XX. *Necessarium* id vocamus, quod extra nos causam habet necessariam, cur vel sit vel fiat, proindeq; ex arbitrio nostro sive humano non pendet.

XXI. *Contingens* id dicimus, quod sitne an non sit, humani est arbitrij: sive ad quod confert hominis voluntas: Cujusmodi sunt actiones humanæ.

XXII. Non igitur per contingentia hic intellecta volumus fortuita; quippe quæ ars & disciplina non curat: sed ut diximus, ea quæ ab humano sunt arbitrio.

A 3

32. Hæc

Definitio

XXIII. Hæc Entium partitio duas facit *Philosophiæ realis*, si-
ve *principalis partes*, *theoreticam* & *practicam*.

XXIV. Hinc *Theoreticarum* & *Practicarum* discrimen
triplex sese offert. 1. desumitur ab objecto circa quod versantur,
ut patet. 2. à fine, qui in contemplativis est verum, in practicis,
opus; ut ipsemet Philosophus distinguit 2. *Metaph. c. 1. tex. 3.* sub-
jecto sive animæ partibus versantibus circa illa objecta: cum in
Theoreticis τὸ θεωρητικόν, in *practicis* τὸ ὀρεκτικόν potissimum oc-
cupetur. Quod ipsum voluit *Plutarchus* cum dixit, τὸν τέλειον ἀν-
δρα debere esse θεωρητικόν τῶν ὄντων, καὶ πρακτικόν τῶν δεόντων.

XXV. Cæterum contemplatio rerum necessariorum tri-
plex datur, nempe pro tribus diversis Entium gradibus. Consi-
deratur enim primò simpliciter quatenus Ens est; Et est hic pri-
mus gradus τῶν ὄντων ἀπλῶς, & constituit *Metaphysicam*.

XXVI. Deinde consideratur quatenus constat materia &
forma, habetq; in se principium motus. Qui est secundus gra-
dus τῶν ἐκ ποσότησεως ὄντων & constituit *Physicam*.

XXVII. Tandem consideratur prout habet nudam for-
mam accidentalem à materia abstractam. Qui est tertius gradus
τῶν ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντων, & constituit *Mathematicam*.

XXVIII. Scientiæ practicæ sunt duorum generum: vel e-
nim dirigunt actiones morales sive civiles, hoc est, πράξις, vel
effectiorem, hoc est, ποίησιν.

XXIX. Ad illam pertinet *Ethica*, *Oeconomica* & *Politica*. Ad
hanc omnes artes propriè sic dictæ: quæq; verò exercitatio à
Philosopho & *Philosophia* aliena est.

Corollaria,

- I. *Philosophia* utraq; pars ad *S. Theologiam* & utilis, & suo modo necessa-
ria est.
- II. *Vera Philosophia* *Theologicis* principijs non contradicit: quia idem au-
tor, horum & illius.
- III. *Ad jurisprudentiam Practicam* *Philosophia* necessaria est, *Theoretica*
utilis.
- IV. *Ad Medicinam* *Theoretica* *Philosophia* necessaria, *Practica* utilis est.

ἔγωγε Φώνησας

Ad

Ornatissimum, & Doctiss. Juvenem,

DN. JOHANNEM WIZELIUM

*Commensalem & Amicum suum suavissimum,
philosophicè jam disputantem.*

*Sic prodire, ratum! Sic se immiscere Sophorum,
JANE, choro, & doctum visere bella, juvat:*

*O factum benè! Sic Sophiae perquirere Abyssus
Et causas latitas. Sic penetrare decet!*

*Scilicet, hinc terras contingit adire Sophias,
Præmia Sic studij, non sine laude, feres.*

*Qualia sint queris? laudabit PATRIA, & ulnis
Suaviolis, ridens, te reducem capiet.*

*Quin & ad insignes olim te accerset honores,
Munia, cum clara virgine, clara dabit.*

*Et tibi, nunc quæ AQUILO vitæ decussit, honorè,
EURUS rursus alium, flore virente, dabit.*

ἔυνοίας χάριν

Properabat VVitteberga

*Johannes Richterius Bitterfeld,
SS. Theol. stud.*

F I N I S.

Dr. phil. JOHANNES WILHELM

Lehrer an der Universität zu Halle

Die Philosophie der Griechen

Erster Band

Erstausgabe

Leipzig

Verlag von C. F. Winter

1858

Preis 12 Schilling

Alle Rechte vorbehalten

Druck von G. Neumann

Halle

22. April 1858

F I N I S



06 A 970

ULB Halle 3
004 545 079




95

1017







1628

Curfus Philosophici
DISPUTATIO I.
De
PHILOSOPHIA
IN GENERE
PROPOSITA,

In Alma VVittebergenfi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

Respondente

JOHANNNE VVIZELIO PFER-
tingslobio--Thur.

Ad diem 29. Novembris.



VVITEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.

